

G.W. 278,36.

F!

(X1904771)

II n
6251

BELGRADUM,
ILLUSTRE

FELICITATIS IMPERATORIÆ,
AC ANTECEDENTIUM PER HUNGARIAM
VICTORIARVM

ORNAMENTUM.

SISTIT ENCOMIASTICE

SIMULQVE

AD

ORATIONEM

MEMORIAE B.DN. JO.
BURCKARDI

SACRAM,

MANE CRASTINI V. D. HABENDAM;

DNN. PATRONOS ET FAUTO.
RES SCHOLÆ

HUMANISSIME AC OBSERVANTER

INVITAT

M. CHRISTIAN. AMOS BÜRGER, R.

chneebergæ, Typis Pfitznerianis.



Bætisimis meritò tripudiis orbis Christi-
anorum universus exiliit, vocibusq; jubi-
lantium circumsonuit hoc lustro, quod
comprimendæ ferociæ Muhamedicæ, &
quâ se dudum incredibile quantum extulerat hostis,
temeritati refrænandæ initia attulit tam felicissima,
uti non inclinare jam aut vergere, sed ruere in interi-
tum præceps imperium istud videatur. Ita nimi-
rum agere cum rebus mortalium consuevit Pronœa
cœlestis: quò gravio rem tempestatem minitatur æ-
ther, quò magis insurgunt fluctus tumidi; hoc svavi-
us ex machinâ Deus

collectasque fugat nubes, solemque reducit,
ac de malaciâ exoptatâ mirificè suis prospicit. Quo-
tus sanè quisque est, cui ipsum ante quinquennium,
& quod excurrit, metum, imò lymphaticum pavo-
rem non incusserit furor Turcicus, ubi gens sangvi-
nis avidior, sedibus excita suis, harpyiarum instar ad
rapinas volitantium, Coronam Austriæ, eandemque
sedem AUGUSTISSIMI LEOPOLDI augustissi-
mam, imò propugnaculum totius Imperii Romano-
Germanici, Viennam spississimâ agminum nube
cinxerat, & contumacis obsidionis viâ expugnatio-
nem machinabatur, anhelabat? Et forsàn de mani-
plis Christianorum in urbe laborantium, cessantibus
fere ultra bimestre subsidiis, actum fuisset, nisi suæ
illinc vindictæ hinc clementiæ illustrius spectaculum
exhibuisset Exercituum Deus, gloriosam liberatio-
nem & victoriam Ponticâ Cæsaris celerioremo
litis. Cujus quidem beneficii amplitudo quemad-
modum adhuc inhæret memoriæ nostræ, celebratio-
ne piâ illud resumentis: ita pariter in admirationem
rapiunt incredibiles ferme, quos populo suo Numen
propitium dehinc indulsit, successûs bellici. Neque
enim

enim tolerari debebant in sinu optimarum regionum truculenti hospites, verum quam fieri posset longissime, a finibus illis videbantur amovendi. Quocirca ulterius prolata sunt arma victricia, pluresque, quas lambit ditissimus Ister, urbes munitissimas, nec non alia per Hungariam tantum non evastatam eheu! penitus, sparsa loca a jugo adamantino in auream libertatem vindicaverunt. Quorum res gestas si ab ovo, quod ajunt repetitas sistere his pagellis instituerem, idem esset, ac æquor vastissimum angusta rivuli fossa coarctare velle. Interim ad ripas Danubii progredi, & quam præclaram Victoriarum Trigram ALBA GRÆCA non ita pridem compleverit, mirando perlustrare juvat. Stabat repulsis Tyrannicis Vienna libera: lætabatur piorum cœtus in luculentissimo auxilio Numinis summi; at indolebat simul calamitosis tot Christianorum fatis, qui sub servitute barbaricâ ipso in gremio hæreditariarum Invictissimi Cæsaris ditionum tam diu gementes liberationem anxie expectarent. Fortissimam ergo dextram jungentes sanctioribus SEMONIS consiliis, BUDAM, urbium arciumque per Europam fenestram celeberrimam, & ipsam metropolin Regni ante quadriennium animosè aggressi, dum non ingressi victores sunt, viam tamen ad insecutam biennio post expugnationem straverunt. Non ridet quotannis agere ejusdem generis frugum nobilitate: verum uti pinguedo erogata colligatur denuò, vel quiescat tellus oportet per aliquod spatium, vel tritici aut farris loco avenam proferat. Consimilem in modum ubi Deus singulari planè beneficio Viennenses soluta obsidione mactaverat; distulit per brevem temporis intercaepedinem explementum votorum, & oppida nonnullas armis subacta prius restituit, quam fulgidissimam
illam

illam gemmam Regni cedere victoribus vellet. Cujus
boni spes nutrita fuit longior, id gaudio tantò majore
nos delibutos tum reddit, quum desideriiis eventus
ex affe respondet. Quò pacto comprehensu facillimū
est, quàm lata lætitiæ seges in omnium surre-
xerit animis, qui Budæ prognata copiosius infidelium
zizania æquè feliciter evellerunt, ac graviter erant
jussi. Heic neque laborum difficultas ac diuturni-
tas, neque periculorum vis obversari tanta potuit, ut
infringerentur heroum conatūs, ad arcem gloriæ
per sudorem & sanguinem fortius enisorem. Pal-
mam tamen iis si non eripuerunt, certè dubiam re-
centissimo fecerunt specimine Belgradi obsessores:
ubi quot sanguinis guttulis membra scatuerunt, tot
laudum magmenta cuique sive extincto sive super-
stiti adjecta sunt: fereturq; ad memoriam posteritatis
in signis hæc expugnatio, ex quâ deinceps negotio-
rum bellicorum momenta maximam partem pende-
bunt. Et ipso enī nomine fausti quid ominari videtur
BELLOGRADUM. Hanc enim **BELLUM** ape-
ruisse **GRADUM** putemus, ad ipsam Imperatoris
Turcici sedem propiūs pertingendi. Jure interim
meritoque Epicinia canimus, quoties memoratas ur-
bes ad secundum Danubii flumen svavisimâ serie si-
tas intuemur, neque pulchrius confici **TRIFOLIUM**
posse intelligimus, quàm ubi **VIENNA** strenuè de-
fensa superiūs emineat; **BUDA** verò & **BELGRA-
DUM** in potestatem denuò redactæ, tanquam fulcra
& destinæ subjungantur. Perpende heic **B.L.** rectiūs
cursum fatorum singularium, & uti affuerit bonitati
causæ Numen optimum, animò excute. Qui insatiabili
habendi cupiditate & odio adversus Christi gregem
plusquàm Vatiniano adacti expellere legitimum Do-
minum sede suâ instituerant, hi, repulsi cum oppro-
briō,

brio, iis nunc ejiciuntur possessionibus, in quas impio
gladio antihac fuerant inducti. Adeò talionis pœ-
na in caput internecini hostis irruit, uti, quod acquisi-
verat turpiter, turpiùs amittat. Adeò terrorem aliis
injicere solitus, jam ipse panico terrore perculsus, &
subactus consternatione, quò se vertat, nescit, fœdòq;
cum metu desperationem infandam subinde miscet.
Ubi qui pravitatem causæ cognoscere nequeat, le-
mis laborare plusquam Saturniis omninò videbitur.
Repetuntur nimirum ab rabidis canibus prosperato
armorum jure Ditiones, quæ LEOPOLDI nostri
Antecessoribus gloriosissimæ memoriæ quondam
paruerunt: cumque heic locum pene principem te-
neat Belgradum, CLXVII. ipsos annos & octo dies
cum horrendâ servitute Turcicâ conflictatum:
ecquis est, qui non exultet tam bello urbium orna-
mento nunc reddito? quis est, qui non uberrimam
gratiarum agendarum messem heic inveniat? Equi-
dem non levi operâ reconcinnatum iri credideris
detrimentum, quò immanissima bellua Solymanus
superiore seculo Hungariam afflixerat, à Belgrado
& Budâ captis, (ut alia loca taceam) ad Augustale
Decus, Viennam, quæ sudes est in tyrannorum oculis,
irrito quamlibet obsidionis conatu, progresso. Et for-
tean infectis rebus discedere ab Alba Græcâ quoque
oportuisset, si Rex Ludovicus Junior, nuptiis eò tem-
pore implicatus, nec ita multò ante ex ephebis egres-
sus, præsentî curâ & excitatâ cum solertiâ rem egisset.
Verùm uti præmatura omnia deprehensa in ipso
sunt; (natus enim sine epidermide, tertio ætatis an-
no coronatus, octavo barbatus, quinto decimo con-
nubio junctus, post decimum & octavum canus,
Præcocis titulum hinc rectè retulit:) ita flos anno-
rum in adolescente vix pubere tenerior ad puberta-
tem

tem quasi matura ferri consilia non permisit. Cæte-
roquin sanè circumspectiùs tractaturus fuisset nego-
tia, quàm ubi Legatos Solymani probrosâ tolli cæde
juslit: quò factum, ut hic furore magis concitatus, in
perniciem Regni Regisque, (ceu famosa illa inconfi-
derantiæ testis, Mohacensis pugna satis arguit) advol-
veretur subitò, & erumpentis instar fluminis terras
istas agminibus inundaret. Dedisset tunc Ludovico
ingentem JO. ZOBANI animum, & incomparabilem
fortitudinē JO. CORVINI HUNIADIS, qui Duum-
viri, sine præfatione laudis publicæ nunquam nomi-
nandi, alter Amurathem II. (A. 1440.) alter Mahome-
tem II. successorem filium (A. 1456.) ab oppugnatio-
ne Belgradi depulerunt, obsidionales coronas jure
suo hinc adepti: non dubiè ad spem fortunæ pristinæ
urbs optima revixisset. At nunc tamen Jo! Trium-
phe, licet canere, dum novissima recuperatio susten-
tos labores jucundiùs animo repræsentat, onereque
fer vitutis exemptos mille gaudiorum cumulis obruit.
Fastis ergò inscribatur Cressâ insignis notâ Dies illa,
(sexta sc. Sept. Greg. Calend.) quâ Salutem à DOMI-
NO vidit Israel: nec vetustate obliteretur memoria
temporis, quò felicissimo omnia nisu ad opprimendū
hostes conspirârunt. Perdidit Ludovicus Belgra-
dum, recepit LEOPOLDUS: ita, qui eidem literæ no-
minum initia debent, rerum gestarū diversitate adeò
sejunguntur, ut parum auspiciatum illius regimen de-
plorare habeat Hungaria, hujus contra felicitatem in-
credibilem lætabunda admiretur. Erepta urbs Regi
juveni, nec dum ad robur consiliorum & experientiae
progresso: restituta modò Serenissimo Adolescentu-
lo JOSEPHO, Hæreditario Hungarorum Regi de
celsâ stirpe AUSTRIACA; quo in corusco Solis Im-
peratorii radio cum fortunâ Paternâ, summa ingenii
vis

vis & spiritus heroicus annos prævortens, pulcher-
rimè certant. Quin & oppositus hostibus victoria-
rum ordo amabile quid contuendum præbet. Occu-
paverat sup. seculo intra quinquennium Belgra-
dum hinc Budam Solymannus, idemque triennio
post Metropolin Austriae exercitu suo quamvis frustra incinge-
bat: LEOPOLDUS dimotis à Viennâ suâ Mahometis IV. co-
piis, elapso nondum biennio Budam, alteroque biennio Belgra-
dum strenuè recuperat, & unius lustri spatio has aliasque cerâ
& ære dignissimas expatrat victorias. O verè, ut meliorem
Trajano, sic feliciorum Augusto Imperatorem! quò cum Chri-
sticolæ tanquam SOLE DVPLO gaudeant; quidni dispareant
pallidæ LVNÆ cornua, imo validè contracta Ponticis aquis
submetgantur? Ille dum conflictui militum in armis pervigilan-
tium non corpore quidem interest, animo tamen laudabilib9 o-
peris præsentissimus, & consiliorum prudentiâ, & maximè pre-
cum pietate fert suppetias, quòvis armorum auxilio salubrio-
res. Hoc enim vinculo fortissimus Deus astrictus quasi tene-
tur, ut nunquam deserat populi sui partes, quin hæctenus ferè
neminem signa Cæsarea secutum, felicitatis Cæsareæ expertem
esse voluerit. Sed quando cum Minervâ & manus movendæ
sunt; conquivisse hæc Ducum dextras, aut milites ignavos edu-
ctos fuisse in tantas expeditiones, minimè arbitremur. Si reverti
longiùs liberet, nominarem fortissimos Saxones, qui prope Vi-
ennam liberandam primum belli impetum excepisse Romano
Oratori * non negantur, nec indigni censentur illius Imperio * Anton
PRINCIPIS, à quò gloriosissimè fuerint ducti. Allaterarem his Malegon
Brandenburgicos, qui in obsidione Bndensi primiferè mœnia nellio in-
conscenderunt, superârunt: at subeunt potiùs mentem, recen- Panegy-
tione fortitudinis exemplo Belgradi expugnatores, quos Rela- rico Joh.
tiones nuperrimæ miro bellandi fervore conspicuos dabant: uti III. R. P.
scil. ad arduum opus alacriùs, quasi choream inirent, accincti, Romæ
neque crebristonantium tormentorum fulminibus, neque glo- dicto,
bulorum grandine, nec nimbis telorum, nec lapidum jactu, nec A. 1684.
fossarum altitudine aut munimentorum densitate deterreri
potuerint, quò minùs redintegrato impetu per oppositas ho-
stium carervas robore Achilléo pleniperrumperent, urbemq;
Victores ingrederentur. Melli tunc fuit, periculorum ingruenti-
um

44
112
6251

nam magnitudinem subire, quum Heroës summi sanguinem
profundere pretiosum non dubitarent. Ecquis enim Illustrum
Scherffenbergium acerrimâ hâc decertatione sublatum, quis a-
lios Principes comitesque corpora gloriosæ morti obtulisse i-
gnorat? Instar omnium tamen heic eminet incomparabilis vir-
tus Serenissimi MAXIMILIANI EMANVELIS Bavariæ Ele-
ctoris; qui magnæ animæ prodigus, arreptâ bipenni, à fronte
stetit, atque ut restitueret impressionem, documenta sui strenua
dedit, gloriâ hinc acquisitâ sempiternum fruiturus. O Macte
tanto Genero SOCER SACRATISSIME, majoraq; adhuc de-
inceps per ipsum conare, accura, exequere; quin ipsam Otto-
mannicam Portam, quo via jam patefacta facilior est, invictis-
simus triumpho, donec juncto rursus & stabilito utroque Imperio
gloriæ & præmiorum sit satietas.

Cæterum uti bellum, sic Musæ quoque præmia, illis sæpè non
minora, militibus navis, quæ discipulis tribuunt dignis, qui nem-
pe ad explendas partes non segniter eunt, sed fundamento pie-
tatis supposito, dicto ductoribus audientes pro virili suâ studio-
rum stadium decurrunt. Atque hæc de officiis discentium mate-
ries digna videbatur & accommoda, quæ Oratione solenni, in me-
moriâ B. DN JO. BURCKARDI, Prætoris quondam hujus
urbis spectatissimi, Scholæque nostræ Benefactoris laudatissi-
mi, more solito quotannis habendâ, plenius exequeretur. I-
gitur ad diem crastini finitis sacris mat. ingenuus nec proleta-
riæ expectationis Juvenis CHRIST. FRID. Bart/ Klingent-
hal. Variscus, in D. JO. BAPT. BONÆ FRVGI DISCIPVLI
IDEA, Senarium maximè Virtutum, doctrinarum filios decenti-
um, pro modulo ingenii sistet, ac Sympalæstritis commendabit.
Cui pietati cum jam quidem justo adsimus tardiùs: speramus ta-
men fore, ut HONORATISSIMI DN. PATRONI ET IN-
SPECTORES SCHOLÆ causas moræ, quam & Oratoris vale-
tudo incommodior, & plura, quibus jam distinemur, negotia
extraordinaria nexuerunt, & qua fronte fixas habeant, & præ-
sentiam suam honorificam, optimæ interpretationis resem, unâ
cum cæteris bonarum literarum Favoribus, commodare no-
bis dicto tempore ne graventur. Sat citò, si sat benè fiet officium;
quod erga MANES BURCKARDIANOS non magis atque
VOS, PATRONI, seriùs, h. e. nunquam, dum in vivis erimus,
desitutum est.

P. P. Schnebergz, Dom. XV, p. Trin,
M DC LXXXIIX,

1018

me

Q. 7. 278, 36.

BEI

FELICI
AC ANTE

MEM
BU

MAN
DNN. PA

HUM.
M. CHR



Kodak
LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

(71)

M,

RIÆ,
GARIAM

N. JO.

UTO.

ER

ER, R.

